V. N. Constantino Hugenio
equiti.

Quam dubie fors cuncta rotat, quam dispare vultu
rebus in humanis ludere numen amat!
alterni mundana labant, prostrataque surgunt,
duraque lex caeli mobile versat opus.
nec solos haec damna premunt illustria fasces
sceptraque per casus nobilitata suos.
plus trepidat nimbis plebes concussa sub illis,
fors quoque ludibrio reptile vulgus habet.
sed latitant angusta domi, non dedita mundo,
neve per annales conscia fama vehit.
sic mihi per gemitus innoxia defluit aetas,
tempora vernantis praecipitata ruunt.
mens erecta suos non raro surgit ad ortus,
progeniesque poli bibida, spernit humum.
crudior ex tetricis nectit fors vincula curis,
tardaque servili compede crura sonant.
mitius Andromedam durae strinxere catenae,
cum jacuit monstro dilanianda truci.
me quoque Caucasei praerupta per invia saxi
exagitat flagris fors inimica suis.
dissilient subito tristes te vindice nexus,
conatuque levi ferrea claustra patent.
Tu medicas extende manus, vir magne, coibunt
vulnera, cantanti sollicitata mago.

'S RYKS
ARCHIEF.

Vir Nobilissime

Semper mihi querelarum puerperio fertilis calamus, auditorium tuum planctibus replet. Neque deploranti levis ratio est, qui cum diu pugil cum noverca fortuna in orbem beni. Ad te vero qui decurro, genij tui alacritatem sequor, qua in peius dilapsas Pindi res erigis, melioris solatij afflatu ubique promptus. Alibi famae tuae tropaea vidimus; et aeternitatis sacrario inscriptum nomen tacita religio ne veneramur, dum aperte conantem vires destituunt. Musis quoque nostris stator si exurgas, illustribus triumphis lauream annectes. Sed fraeno impetum, ne in peius excidat geminata loquacitas. Aliud clanculum impero. Pomeridianum dormitioni consecrabimus, ut Musaei nostri negotijs me reddam. Absenti favere perge, qui praesenti humanitatis arculas explicuisti. Variè tibi crebit familiaritatis commercium, et in diffusa multitudine in Gruteri saltem aliquid excidere proclive erit. Si liberiuscule excubias injungo, in laesa verecundiae amuletum Musarum causam admoveo. Vale vir Nobilissime et Gerendis studijs da, intenti aucupij vigilias. Si praedam hamus sentiat, habes consiliorum socium Davidem de Willem. Illo internuncio facile adhauriam quodcunque fortuna tibi obtulit. Iterum vale. Scribebam raptim. Hagae. Vir Calendas Februarij CIↃ IↃC XXXIIj.

Tuus
Isaacus Gruterus

tragicus.

63

Nobilissimo Amplissimo
Eruditissimo viro Constan-
tino Hugenio equiti Do-
mino in Zuilichem, Illustris-
simo Principi a secretis

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/756